



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses**

**Stapleton, Thomas**

**Antverpiae, 1595**

9. Clamabant dicentes, Hosanna filio Daud.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39546**

9. *Clamabant dicentes, Hosanna filio David.*

Hosanna  
quid sig-  
nificet.

Q V V M huius vocis Hosanna explicatio iam dudum à D. Hieronymo iuxta veritatem hebraicam satis excussa fuerit, tum in comment. in hunc locum, tum in tractatu peculiari de voce Osanna, & post eū Cornelius Iansenius prolixè & accuratè idem explicuerit, textusque hodie Syriacus & Hebræus idem clarissimè attestentur, nempe vocem esse apud Hebræos compositam à verbo saluandi, & interiectione obsecrandi, vt significet, *Saluū fac queso*, quo etiā sensu Psal. 117. illa eadem vox accipitur, ex quo Psalmo hanc acclamationē desumptam esse, illud quod adiungitur, *Benedictus qui venit in nomine Domini*, inuictè demonstrat: non parua temeritas est noui cuiusdam & celebris Scriptoris, qui consentientem veterum interpretationem agnoscens, ab ea tamen recedere voluit propter autoritatem cuiusdam Caninij, & Ioannis Drusi, qui Rabbinos secuti scripserunt hanc vocem vnam tantū esse dictionem, & significare *ramos salicum*, vt verum sensum hunc esse ille decernat: *Osanna filio David*, id est, *Rami filio David*. Quam explicationem planè absurdam & ridiculam esse, vel id quod statim sequitur apud Matthæum, illum & alios illos hebraizantes docere debuit: *Osanna in altissimis*. An dicent hic sensum esse, *O Rami in altissimis*? Deinde docere eos debuit eadem vox in Psal. 117. quam vulgatus interpretis rectissimè vertit, *O Domine, saluum me fac, bene prosperare, benedictus qui venit in nomine Domini*. An illic sensus erit, *Rami salicum bene prospera mini*? Denique docere eos debuit Catholica Ecclesie sensus, quæ in sacratissimo trifagio hanc

vocem



vocem vsurpat, *Osanna in excelsis*. An ibi quoque  
 dicent, *Osanna* significare ramos salicum? Sed  
 vno argumento mouetur ille. *Vitiosa* (inquit) *hæc*  
*est locutio, & quæ nullum congruentē refert orationis sen-*  
*suum, Salua queso filio David. Nisi dicere velimus esse*  
*hebraismum, idemque sonare, ac si diceretur, Salus nostra à*  
*filio David, vt notat Ioan. Drusus de voc. hebr. noui test.*  
*cap. 19. Hæc ille. Sanior certè & magis sobria hæc*  
*esset Drusi expositio, tamen apertè falsa iux-*  
*ta literam hebræam: quum vocibus illis, Filio Da-*  
*uid, non beth, sed lamed præponatur. Sed docere*  
*hunc nouum Scriptorem potuit solus Cornelius*  
*Iansenius, hebraismum quidem hic esse, sed lōgè*  
*aliud propter præpositionem lamed, quæ non à,*  
*vel ab, vt beth, sed ad, vel in, significat: quæ etiam*  
*præpositio tamen propriè est nota datiu casus,*  
*est tamen nonnunquam nota accusatiui, vt ex-*  
*emplis probat ex Iud. cap. 7. ver. 2. & 2. Reg. 10.*  
*ver. 11. Sensus ergo proprius & iuxta hebraismū*  
*literalis est, Saluum fac queso filium David. Precatur*  
*quippe populus Christo, quasi nouo Regi &*  
*Mesiæ expectato, salutem & prosperitatem à*  
*Deo. Eadem quidè vox in festo tabernaculorū,*  
*quando etiam rami palmarum circumferebantur,*  
*à Iudæis vsurpata fuit, clamantibus *Osanna in exc-**  
*elsis. Sed ipsos ramos suos, quos gestabant, hæc*  
*voce compellasse, aut illos inclamasse, planè ri-*  
*diculum est. Vox quippe illa ad singulas petiti-*  
*ones succinitur, vt nos in Litanijs nostris repeti-*  
*mus, *Miserere nobis, vel, Ora pro nobis.**

13. *Domus mea domus orationis vocabitur.*

**Q**UUM hæc Christi verba rectū & proprium  
 templorum vsum (quibus & Christiani ca-  
 rene non possunt, vbi pax Ecclesiæ tuta & acies

P 5 ordinata